

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3754

Auteur(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1271, 11 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

En recevant la lettre du roi Philippe [III], l'abbé et les moines de Notre-Dame de la Trappe lui promettent de célébrer les obits tous les ans pour la famille du roi.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 806, p. 187.

Texte établi d'après a

Excellentissimo domino Philippo, Dei gratia, Francorum illustri regi, humiles sui ac devoti ac oratores assidui, abbas et conventus Sancte Marie de Trappa, Cisterciensis ordinis, Sagiensis dyocesis, subjectionem cum orationibus humilibus ac devotis. Litteras serenitatis vestre per venerabilem virum et discretum Vivianum de Bosco, exhibitorem earum, capellanum vestrum, recepimus compassionis et doloris nobis materiam afferentes, in quibus vidimus inter cetera contineri, ut animas felicitis memorie domini Ludovici, quondam illustrissimi regis Francorum, genitoris vestri, necnon domini J. quondam comitis Nivernensis, fratris vestri, domini Theobaldi, quondam regis Navarre, sororii vestri, et etiam illustrissime regine domine Ysabellis uxoris vestre, defuncte, piis missarum et devotarum orationum suffragiis commendaremus, et faceremus in ecclesiasticis locis nobis subditis commendari. Nos attendentes petitionem vestram esse justissimam, cum nichil sit quod clariore luce prefulgeat, quam recta fides in principe, et quod pium est orare pro mortuis, et dilectionem quam predecessores vestri semper erga nos et nostrum monasterium habuerunt, et vos divina favente clementia semper habebitis in futurum, dominationi vestre in vita et in morte, et animabus illorum pro quibus rogastis, plenam participationem omnium bonorum spiritualium que in ecclesia nostra, tam in capite quam in membris, fiunt et fient de cetero, in missis, jejuniis, vigiliis et orationibus, elemosinis et aliis bonis, duximus concedendam, promittentes quod nos de cetero singulis annis in perpetuum eorum anniversaria faciemus, et in nostro martrologio hoc scribemus, ne oblivione valeat aboleri, insuper pro xpistianissimo et illustrissimo patre vestro et illustri regina uxore vestra in ecclesia nostra celebrabitur annuale, necnon unusquisque nostrum, qui sumus quadraginta sacerdotes, septem missas potissime pro animabus eorundem et regine devotissime celebrabit, et alii qui sacerdotes non sunt quinque psalteria dicent, videlicet unusquisque pro animabus predictorum, ut eisdem pius et misericors Dominus dignetur suam gratiam impartiri et absolvere a peccatis. Preterea pro persona vestra specialem orationem ad missas faciemus de cetero, et unam missam de Sancto Spiritu qualibet edomada cantabimus et faciemus in nostra ecclesia decantari. Quod excellentie vestre ad petitionem dicti capellani vestri duximus intimandum. Valeat excellentia vestra diu et bene

in Domino Xpisto Jhsu, qui vos conservet ecclesie sue et regno vestro in statu prosperitatis per tempora longiora.
Amen. Datum anno Domini, M° CC° LXX° primo die Beati Barnabe apostoli.